

A decorative border of repeating floral motifs, possibly roses or similar flowers, with intricate leaf patterns, framing the central text.

*L. Dubs*

**DISSERTATIO**


INAUGURALIS

DE

**HAEMIOPTYSI.**



**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**HAEMOPTYSI**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI  
**PRAESIDIS AC DIRECTORIS,**  
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI  
D E C A - N I,  
NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA  
IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT  
**LAZARUS DUBS,**  
Galicianus Leopoliensis.



---

• In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die MDCCCXXXII.

---

VINDOBONAE.  
Typis Antonii de Haykul.  
MDCCCXXXII.

**PARENTIBUS OPTIMIS**



*gratissimus filius.*

---

## D e f i n i t i o.

### §. 1.

**H**æmoptysis, hæmoptismus, hæmoptoë, emptoë, emptosis, sputum cruentum, hæmorrhagia pulmonum, passio hæmoptoica, sanguinis fluor, pneumonorrhagia; Gallis: cracher du sang, crachement de sang, expectoration de sang, flux sanguin de poumons; Germanis; Blutbusten, Blutspenen, Blutspucken, Blutaußwurf; Italis sputo di sanguine, ematossia.

Dictis nominibus illam ecrisium speciem designamus, sub qua sanguis e larynge, trachea, bronchiis, vel pulmonibus, accedente sussi, expiratione fortiori, vel motu tracheae retrogrado, per os evacuatur.

## H y p o t y p o s i s.

### §. 2.

Nonnullis in casibus, quin molestiae aegros vexarent, sanguis e pulmonibus vel trachea ascen-

dit ad cavum oris, levem faucium titillationem. saporemque salsum, hinc inde dulcescentem inducens, ut plurimum autem cephalaea, agrypnia, aut magna proclivitas in somnum, somniis terrificis turbatum, horripilationes cum lassitudine, aestus fugax, genarum rubor, respirium plus minus difficile, tussis sicca, anxietas, calor internus auctus, tensio et dolores sub sterno, partim profundius in ipso pectore, partim ad dorsum et inter scapulas sese extendentes, frigus extremitatum, hinc inde febris cardiopalmo comite, cum urinis pallidis; praecedunt. His prodromis, tempore breviori aut longiori, intensitate variabili praegressis, ipse sanguis plus minus spumosus, laete vel obscure rubescens, initio exigua quantitate cum tussi ejicitur, prouti aut moram in pulmone ejusque vesiculis fecerit, substiteritque diutius immotus, aut e vasis varicosis, aneurismaticisque, in quibus congestus fere concreverit, repente dehiscentibus effluxerit; niger quoque et porosus, spongiae instar adparet, si pars aliqua pulmonis sphacelo correpta fuerit; deinde remora interposita, pruritus ad tussim redit, quem uberior sanguinis effluxus, per horas hinc inde continuans, sequitur; sanguis incipiente insultu merus, ad finem vergente mucosum spumido remixtus; quod recte jam Hippocrates monuit: „qui sanguinem spumosum expuunt, his ex pulmone talis ejectio est“; sub fluxu uberiori respiratio, stertens et strepens redditur, anxietas intenditur, vires demum labuntur, accedit animi deliquium, vel asphyxia, quod si aeger exhaustus dormiens supine decumbit, haemorrhagia larga derepente corripitur, morte apopnetica e medio tollitur. Quantitas sanguinis ejecti admodum differt; in exordio morbi aliquot uncias vix superat, incrementum vero augetur, et

sub summa vehementia totalis sanguinis depletio timenda. — Relate ad impetum quos anguis eructatur et ejus quantitatem distinguunt auctores Haemoptysin (Blutaußwurf) ab Haemorrhagia pulmonum (Lungenblutsturz).

## D i v i s i o.

### §. 3.

Ante omnia monendum habeo, ne effluxus sanguinis e choanis, gingiva, dentium alveolis, lingua tonsillis, pharynge, oesophago, et ventriculo, ad diagnosim pneumonorrhagiae statuendam seducat; quem errorem vix medicorum aliquis committat, qui omnia symptomata, tum praeterita, quae praesentia, cuilibet horum morborum propria, rite perlustraverit. — Pneumonorrhagia sub duplici respectu dividi potest: quoad locum et quoad characterem.

### §. 4.

1) *Quoad locum*, prouti vel ex larynge et trachea, vel vero e pulmonibus sanguis effluerit, nunc *Tracheorrhagia*, nunc *Pneumonorrhagia proprie sic dicta*, audit; etiamsi limites arctissimi inter utrasque has species non dantur, attamen nonnulla sunt, quae diagnosim probabilem reddunt. Cum vero, quae pneumonorrhagiam proprie sic dictam enunciant phaenomena, in hypotyposi fusius exposita sint, juvabit tantum illa inducere, quae tracheorrhagiae proprie conveniunt, uti: titillatio, calor et levis dolor in certo fixoque loco tracheae, tussis modica, frequentior sereatio, qua sanguis motu retrogrado tracheae

fauces ascendens ejicitur; quibus accedit, raucedo, sibillus quidam, aut vox stertorosa, quandoque parcus, saepius nec spumousus, alias cum muco bronchiali in strias divisus, interdum sine tussi, sola fortiori expiratione, rutilus ac floridus, spumousus, saepe coagulatus, torrentis ad instar per oris nariumque ostia, ejicitur, deficient praeterea sensus pressionis et doloris in imo thorace.

§. 5.

2) *Quoad characterem*, distinguunt auctores Haemoptysin *activam*, et *passivam*, quibus tertiam *spasmodicam cum erethismo*, addunt (Haase et Reil), licet strictius ultima species semper vel activum vel passivum characterem praese fert.

§. 6.

Haemoptysis cum caractere *activo, inflammatorio, hypersthenico; cum synocha* (Haase et Reil), in praevaiente irritabilitate et energia totius systematis sanguiferi, et imprimis vasorum sanguiferorum pulmonum consistit; enunciatur virium excessu, cum pulsu pleno duro, frequenti, feбри, congestione versus pulmones, tussi, dyspnoea, solum evacuato cruore pro tempore remittente. Sanguis cum impetu, sed per intervalla parcus, laete rubens, in crustam lardaceam cito coiens, cum levamine subsequo projicitur. Subjectum juvenile, robustum, causae occasionales incitando agentes huic characteri favent.

## §. 7.

Haemoptysis *passiva, asthenica* seu cum caractere typhi (Reil), in irritabilitate et energia vasorum capillarium deficiente, nihilominus in reliqui vasorum systematis motu organico abnormi, normali, vel justo magis concitato fundatur. Nonnulli a propria sanguinis tenuitate, dissolutione et a vasorum relaxatione repetunt. Hunc characterem produnt: constitutio aegri laxa, virium summa debilitas, pulsus parvus, tremens, inaequalis, sanguis effluens dissolutus, tenuis, nigrescens, difficulter coagulabilis, cruor modo passivo scaturiens et sola quantitate tussin provocans; spiritus stertorosus, foetens; calor cutis imminutus, color luridus in plumbeum vergens, sudor viscidus, pectoris molestiae fere nullae, vel saltem levissimae. Occurrit haec species Haemoptyseos in phthisicis, in scorbuticis, in typho putrido, haemorrhoea petechiali detentis, sicuti activa si diutius durat aut frequentes patitur recidivas, in passivam transire amat.

## §. 8.

Haemoptysis *spasmodica, cum caractere paralytico* (Reilii), prodromis cum illis haemorrhagiae activae multum convenientibus ast minus constantibus incipit. Pulsus parvi, contracti, spastici; inaequales et intermittentes tanguntur. Dum in parte una congestiones, in remotis Keneangea et adfectiones spasmodicae cernuntur. Cutis sicca, modo frigida, corrugata, modo calida, humidaque; urina pallida, coloris straminei; morositas, in spasmos proclivitas, habitus plerumque phthisicus, sensibilitatem auctam, statumque spasmodicum sive topicum sive uni-



versalem indicant. Sanguis fere semper spumous initio parva quantitate eructatur.

## C a u s a e.

### §. 9.

Inter momenta proëgumena referri merentur:

I) *Structura visceris cellulosa*, vasculosa, quod rete vasorum capillarium ope textus subtilissimi inter se nexorum refert, sedes hujus omni humorum massae cum impetu transmittendae, processus biodynamicus inter sanguinem et aërem spiratum remoram non admittens, intimum porro commercium quod pulmones cum reliquis organismi partibus sustinent, frequentiae adfectionum pulmonalium in genere, et speciatim Pneu-monorrhagiae favent.

### §. 10.

U. *Aetas*, juvenilis et virilis Haemoptysi mulctatur; nam sicuti aetate tenera in organis, quae vegetationis processui praesunt, major ad phlogoses cernitur proclivitas, ita aetate juvenili et adulta, ea ratione, qua perfectio animalis et irritabilitatis character potentius evolvitur, majorem in pulmonibus esse debere in eundem statum pathologicum pronitatem sine difficultate colligitur.

### §. 11.

III. *Mala thoracis conformatio*, sive congenita, sive acquisita, uti: gibbus, scoliosis,

lordosis, et praesertim *habitus* sic dictus *phthisicus*, quem distinguunt: statura procera, praecipuus corporis incrementum, fibra delicata, venarum varicositas, genarum floridus rubor, collum longum, scapulae elatae, sternum planum, ingenium praecox, huc referuntur etiam congestiones versus encephalon et pulmones frequentiores, vibrationes arteriarum vividiores; qui habitus vel variis ex noxiis sub evolutione organismi inducitur, vel a parentibus ad filios et inde ad nepotes jure quasi haereditario transplan-  
tatur.

§. 12.

IV. *Officia* mortalibus imposita, partim noxio corporis situ, uti sartores, sutores, textores, lapicidae, molitores; partim nimia organorum respirantium intentione peragenda, uti declamatores, cantatores, fabri ferrarii, serrarii etc. suam ad Haemoptysin symbolam conferunt.

§. 13.

*Causae procatarticae* dipescuntur in *ex-* et *internas*.

Ad *externas* referuntur: violentia organismi spiritum ducentibus illata, ictus, vulnera, contusio, percussio, compressio, coarctatio, fractura sterni, costarum, commotio corporis valida in ponderibus elevandis, tubarum fistularum inflatio, aër calidus et siccus, vel nimium rarus et levis uti est in cacuminibus montium, vel frigidior, vel alienis materiis impraegnatus, uti vaporibus nitrosis, sulfureis, pulveribus varii generis.

Abusus vini, liquorum fermentatorum, rerum acrium et calefacientium, balnea frigida, vestes arctiores, imprimis thoraces angusti, quae omnia circulum sanguinis accelerant, orgasmum congestionesque inducere valent. —

*Ad internas* numerantur: pulmonum per morbos praegressos debilitas et sensibilitas major, per congestiones sanguinis ex turbata circulatione, per insultus asthmaticos, per phthisin pituitosam inductae; tumores in pectoris cavo, aneurismata cordis vasorumque majorum pulmonalium, steatomata, vomicae, tubercula pulmonum, varices, hydrops pericardii, empyema, calculi materia tophacea, calcaria in bronchiis concreta, virus venerum pulmonibus infestum. Impetiginum chronicarum subitanea suppressio, ac similis ad pulmones morbosa secretio; infarctus viscerum abdominalium, imprimis hepatis, lienis, uteri moles aucta, tumores scirrhusi, adeps copiosus, ascites, spasmi abdominis.

Animi pathemata excitantia, ira, terror, gaudium, spes subitanea etc. Profluviorum aliorum consuetorum suppressio, uti epistaxis, fluxus menstrui, lochiorum et haemorrhoidum; venaesectionum suetarum neglectus; huc pertinent et abusus veneris, aut ipse coitus citissime celebratus, praecox, aut nimius (Frank), nec non infelix veneris imitamentum pulmonibus clandestinas insidias struit.

## N o s o g e n i a.

### §. 14.

Perardui laboris argumentum est, illorum quae in intimis penetralibus contingunt, causam proximam omni ex parte perlustrare. Omissis veterum hypothesibus, praecipuam recentiorum adducam, pro caractere vario variam. Characteris Pneumonorrhagiae activi causa proxima, in activitate systematis arteriosi aucta fundatur. quae ad arteriolas minimas seu fines illarum propagatur et sola secretionem sanguinis producit.

Characteris passivi causa quaeritur in irritabilitate et energia vasorum praecipue minorum exhausta, paralyti, debilitate universali, ita ut sanguis sola activitate vasorum majorum, etiamsi debili, ex osteolis ultimis pellatur.

Characteris spasmodici vero causa in irritabilitate systematis arteriosi adaucta et energia illius imminuta, cum sensibilitate exaltata fundatur.

### §. 15.

Haemoptysis a *soluta vasorum continuitate* proveniens, a medicis vario modo explicabatur, sic dilatationem vasorum sub qua sanguis transmittitur vel ex diapedesi vel diaeresi derivant, prouti poris organicis dilatatis vasorum tamen fibrillis integerrimis, vel ultimis etiam destructis sanguis effluxerat; diaeresin iterum ex duplici fonte repetunt, vel ex potentia chemica, parietes vasorum corrodente. quod saepe ab ulceratione ma-

ligna inducitur, vel a causa mechanica, vasa sanguifera distendendente et tandem ruptionem inducente, uti congestio nimia, causa traumatica pectori illata etc. Prima diabrosis, altera rhexis vocatur. Hanc divisionem rationalem esse, nec omni utilitate carere lubenter confiteor, quamvis constante vita, qui modus effluxui sanguinis subsit, apodictica cum certitudine nunquam pronuntiandus; siquidem cadaverum autopsia plurimis in casibus cum praedictis vix congruet.

## E x i t u s.

### §. 16.

Haemoptysis terminatur uti alii morbi, in sanitatem, in alios morbos, vel in mortem.

*In sanitatem* terminatur haemoptoë characteris activi, gradus mediocris; haec enim per se ex natura sua, cum summo aegri levamine in sanitatem abit, si recens ex causis levioribus, facile removendis producta, ex plethora vera, ex vicaria congestione orta, si deest dispositio haereditaria, si sub periodo evolutionis exoritur, si sanguis emissus neque copia, neque frequentia nimius, et aegri vires necdum multum debilitaverit.

### §. 17.

*In alios morbos* transit, dispositione mala antea jam praesente, methodo perversa in auxilium vocata, duratione mali protracta, jactura sanguinis tanta ut restitui brevi nullo possit modo. Huc numeramus asthma, phthisin aliasque cachexias, hydropes variae speciei; febrem inflamma-

toriam diutius persistentem, depascentem, quibus pro tempore adfectiones nervorum variae accedunt.

§. 18.

*In mortem* haemoptysis abit per morbos secundarios, non sanandos; si sanguis nimia copia cum impetu e pulmonibus ejicitur; et suffocationem, asphyxiam inducit; vel ob summam laxitatem et vitalitatem vasorum extinctam, uti in scorbuto et feбри putrida videre est. Lenta mors inducitur, si sanguis non adeo profusa quantitate, sed copia minori saepius repetita evacuatur, et organismi vires successive exhaurit, principio enim vitali deficiente, vires magis magisque labuntur, functiones omnes energia sua debilitantur, donec pabulo vitae plasticae et animalis consumto, circulus silet, et letheis sopietur undis.

P r o g n o s i s.

§. 19.

Haec a caractere, intensitate, aegri constitutione, aetate, conformatione, causarum excitantium ratione et circumstantiis aliis, variat. Caeterum vera haemoptysis nunquam expers discriminis est (Hippocrates); imprimis copiosa sanguinis profusio magna pericula pulmonibus adfert, quia vel homo potest illico exanimari, vel nimia ejus copia inter cellulosum textum et vesiculas, aut bronchia ipsa congesta praefocari, vel cor debito sanguinis influxu orbare, vel etiam mole et pondere opprimere, ut subito et mortalis syncope et asphyxia subsequatur.

Character activus prognosin faustam enunciat, etenim profluvium parcum, profusum vero raro post se trahit et cruoris ejectio cum levamine succedit, et si diu non durat therapia congrua sistitur. Faustior eventus sperandus absente omni labe organica, aut peculiari conformatione prava.

Haemoptoë autem characteris passivi ut plurimum periculo plena, nam in morbos secundarios perniciosos miseros ducit; omnium pessima symptomatibus nervosis stipata aut dissolutione humorum.

### §. 20.

Quae jure quasi haereditario a parentibus ad filios et nepotes propagatur multo exitiosior est, difficiliusque curatur. Si causae producentes facile annihilandae sunt, absente omni praedispositione facilius sanantur.

Majoris periculi ea est, quae e rupto vaso majori, aut ex profundiori loco derivatur, sicuti et illa, quae cum copiosiori et largiori sanguinis exspuitione incedit.

Inveterata et chronica haemoptysis, aut phthisis pulmonalis superveniens, omnem fere medicinam contemnit. Malum augurium si sapor oris ingratus, salsus aut dulciusculus diu haemoptysin praecessit. Id etiam in variis pectoris adfectibus, aut ipsorum pulmonum labe, cum vomica majori minorive disrupta, aut ulceribus incedente praedicandum est.

§. 21.

Minus perniciosa, in puellis, foeminis, et viris aetate provecioreprehenditur, cum in illis menstrua, in his vero haemorrhoides maximum jus sibi vindicant, totumque sanguinis torrentem huc adliciunt, et a pulmonibus derivans, dum contra ex mensibus et haemorrhoidibus parcis vel suppressis, pulmones fluxu quasi vicario mulctantur. Plurimum timendum a febre intensa, tussi cum sputis suspectis, dyspnoea et dolore, cessante jam cruoris fluxu, per plures adhuc dies continuantibus; quae inflammationem intensam in suppurationem nitentem notant; quod jam notum erat Hippocrati: „a sanguinis sputo — puris sputum, malum.“

§. 22.

Non tamen pessima ubique timenda, experientia enim constat e vera haemoptisi interdum etiam larga et recidiva, non paucos evasisse, quibus auxilium mature fuit latum; foeminae gravidae donec partum absolverint, sicuti puellae tributum menstruum debentes, sine magnis periculis sanguinem licet periodice e pulmonibus emittunt, idem de haemorrhoidibus virorum suppressis et in pulmonum profluvium mutatis. Laetior est prognosis pneumorrhagiae si sub pneumonitidis crisi contingit, quae non raro in aegri salutem cedit (nob. ab Hildenbrand).



## T h e r a p i a.

### §. 23.

Remotis causis occasionalibus, cura haemoptyseos triplex est, prima *sub invasione*, altera *hac absoluta*, tertia demum *prophylactica*.

### §. 24.

*Sub invasione*, primum est ut per periculi adspectum mox indolem aegroti, ipsius habitum modumque profluvii, vires vitae superstites, causarum praegressarum et praesentium, oculo scrutemur. In genere aeger mox vestibus ac cingulis, quae comprimunt, spoliatur; corporis positionem erectam observans, in aëre subfrigido degat, corpus minime moveat, ab omni vociferatione abstineat; ut mentis agitatio per solatium componatur, evitet potum calidum vel talem qui tussim excitet.

### §. 25.

Si *character activus*, ex juventute florida, constitutione robusta etc. cognoscitur, si alterius cruentae excretionis suppressio, validum exercitium, spirituosorumque abusus praecesserunt, et si sanguis moderato cum impetu per tracheam assurgit, ab illis, quae stimulando agunt abstinendum, et cruor ex brachio sat ampla venae sectione mittendus est; cujus quantitatem, actas, symptomatum intensitas, subjecti constitutio, genii epidemici regnantis natura, morbique actas definiunt. Symptomata thoracica quoque, oppressio,

anxietas, tussis eandem determinant; nec quantitas e pulmonibus deperditi cruoris, nec pallor et contremiscentia aegri e sanguinis jactura, medicum a venaesectione deterreant, quod eo frequentius accidit, quo pulsus parvi, facilius comprimiendi, contracti, fictitiae debiles tanguntur. — Suadent nonnulli sanguinem ex venis extremitatum inferiorum emittere (Frank, Burserius), sicquidem cum effectu sanguinem evacuante etiam derivantem conjungit; quod praecipue in illis haemoptoëis speciebus adhibendum, quae ex profluviiis aliis cruentis suppressis uti, haemorrhoidum, mensiumque etc. originem repetunt.

Quod si venaesectionem pulsus excipiant fortes, pleni, symptomatibus thoracicis persistentibus, alteram imo et plures venaesectiones salutiferas fore censeas; imminuitur enim nimius sanguinis ad pulmones adpulsus et coacervatio, vasque minus distenta sese contrahere tunc possunt ut coëant et glutinentur. —

In haemoptysi aliis ex profluviiis suppressis exorta, venaesectione praegressa, topica depletio sanguinis, pro re nata ad pudenda, vel ad anum, ope hirudinum, cucurbitarum sanguinolentarum ad internam cruris faciem, ad os sacrum, ad perinaeum, ab aliis ad pectus applicatarum, indicatur. —

His praemissis ad remedium princeps anti-phlogisticum *nitrum* confugimus, ob vim suam refrigerantem, sanguinis plasticitatem imminuentem, egregium. Exhibetur dosi minori remediis mucilaginosi, emollientibus, emulsis, involutum. — Deinde alvi oppilationes, sanguinis congestionibus in aliis partibus nimis faventes, sol-

vendae; hinc alviducciones remediis antiphlogisticis, potus refrigerantes exhibentur. Si dosis salium vel minima tussim provocat, ab illis abstinendum, atque emulsiones ex amygdalis, seminum melonum, cucumerum, Peponis, citruli et mixturae oleosae, decocta mucilaginosae porrigenda. — Ab acidis dilutis, quamvis ex regno vegetabili depromptis, ob pruritus in tussim quem provocant abstinendum. — Orgasmo composito, tussis spasmodica in decursu caput extollens, remediis mucilaginosae et oleosae cum tantillo extracti Hyosciami junctis juguletur. — Remedia externa huic characteri convenientia, quae derivando agunt adhibenda. — Ab enematibus quantitate majore cavum abdominis opplentibus, diaphragma ac ita pulmones prementibus cavendum. — Regimen, diaeta, characteri convenientis sit.

§. 26.

Si ex habitu subjecti et causis praegressis, *indoles profluvii adynamica* videtur, ut sanguinis fluxus sistatur curandum est, hinc de crure mittendo minime cogites; sic et maximi momenti cardo rei in eo versatur, ut transitus characteris activi in oppositum praecaveatur, hinc a venaesectionibus indicationi rite non respondentibus adhuc continuatis illico abstineas. Debito hinc tempore haemostatica in usum vocanda, cum quaevis molis sanguinis deperdita, vires magis magisque debilitat, mortemque inducere valet; hinc remedia cito tutoque agentia ordinentur; imprimis acida mineralia diluta conveniunt. Si haemorrhagia cum febre putrida aut typho in-

cedit, acidum sulfuricum dilutum, elix. acid. Halleri, acid. muriat., sufficiente quantitate aque vel decocto mucilaginoso dilutum: acid. muriatic. oxygenat. sub nisu in putredinem; acid. phosph. (Hufeland) cum quintupla aquae quantitate a guttis X ad LX, cum connubio Chinae Valerianae aut cort. Cinnamomi, cum tinct. cort. Aurantior. eorumque syrupo adhibeantur. — Absente omni irritatione statuque spasmodico, efficaciora haemostatica palmam reliquis praeripiunt, uti roborantia adstringentia; in specie sulfas ferri cum pulvere Chinae et conserva rosarum, sulf. Zinci artefactus; absente omni dyspnoëa extract. cort. Peruo. cum alumine respondet. —

Plurimis in casibus si character passivus morbos acutos excipit remedia eidem convenientia sunt: Camphora, Moschus, rad. Serpentariae, Senegae, flor. et rad. Arnicae, Naphthae, aetheres, tinct. Cinnamomi, Myrrhae, vinum generosum cochleatim exhibendum. — Ubi periculum non urget Succus Urticae dioicae et albae, Hederae terrestris, decoct. quercus, Hippocastani, Salicis, flor. Balaust., rad. Tormentillae, Bistortae, ligni Campech., Ratanhiae etc. votis respondent. — Quod si praesidia alia Sanguinis sputum nequaquam inhibeant, et tanta sanguinis copia erumpentis sit, ut citissime comprimi postulet, in usu aquae frigidae summa salutis spes continetur, dummodo nec inflammationis signa adsint, neque haemoptoë vitio gravi pulmonum stupetur. Ab aqua simplici naturaliter frigida inchoandum, deinde ad frigidissimam nivatam, tandem ad ipsam glaciem transeundum. Nonnulli quaecvis horae quadrante scyphum hauriendum jubent, alii singulis semihoris octo vel decem uncias praebere solent, excluso quocumque alio ali-

mento, continuarique ejusmodi potum die noctuque ad aliquot dies, interdum ad hebdomadam aut certe donec sanguinis sputum cessaverit, suadent.

Postea paulatim potus ejusmodi aquae imminui debet et aliquid tenuioris alimenti concedi licet (Burser.). Suadent nonnulli cremorem lactis congelatum, aut glaciem conditam (Gefrorenes) cochleatim deglutire.

Feliciter etiam adhibuit cel. Mertensius aquam frigidam extrinsecus, brachiis et poplitibus per lintea eadem madefacta impositam, idem auctor amplum vesicatorium intra scapulas admovere solitus est, quod autem non semper cum prospero coronatur successu (Burser.). — Alii medici epithemata frigida genitalibus imponere suadent. — Majore sub malo, brachiis cruribusque circumposita super cubiti ac genuum articulis ligatura, qua sanguinis transitus ex venis in arterias inhibetur, cum felici effectum coronatur (Frank).

### §. 27.

Si habitus universalis causae praegressae, phaenomena, uti; pulsus contracti, spasmodici, extremitatum frigus, urinae pallidae, coloris straminei, *characterem* haemoptysis *spasmodicum* denotant, cura juxta eundem dirigatur. — Haud raro contingit ut *nervosa* sub *constitutione*, alacris adsit virium activitas in arterioso systemate; hinc sub congestione ad pulmones nimia, phlebotomia cum aegri emulmento instituitur. In genere autem cum evacuationibus sanguinis

cauti esse debemus, sunt enim casus complures ubi major virium debilitas easdem prohibet. — Inter medicamenta irritabilitatem vasorum ad ductam coercentia: *Digitalis purpurea* (praemissa tamen ubi licet venaesectione) praestansissimum praedicatur; motum enim expansivum articularum sufflammando contractivum auget, cordis facultatem motricem imminuit, stasesque solvit. Exhibentur folia in pulvere a grano uno ad duo omni hora, alii cum Opio, alii cum mercurio dulci conjungunt, aliis iterum infusum foliorum *Digit. purpur.* cum aqua cinnam. et tinct. *Opii* placet (Frank, Hecker). Sub erethismo cum debilitate nullo convenit modo, \*cujus locum acid. sulfuric., elix. acid. Hall., elix. acid. Dippelii, aqua Rabelii, acid. phosph. a guttis decem ad quadraginta pro dosi, nunquam tamen sola, sed vehiculo mucilaginoso propinata, melius explent. — Eminente statu spasmodico, cum anxietate, genarum rubore cum pallore alternante, extremitatibus frigidis, pulsu parvo, duriusculo, vacillante, ad doses *Ipecac. refractas* confugimus.

Nonnulli extract. *Hyosciami*, quod in alvi appilatione *Opio* praefereudum suadent. Sicuti et oleum *Hyosciami* coctum, oleo amygdalarum, Lini, vel mucilage g. arab. junctum cochleatini summendum magnis habetur laudibus (Harles). Recentiores etiam emulsum ex seminibus *Hyosciami* paratum porrigunt, (Bischoff.). *Opium* sub tussi spasmodica, compositis undis febrilibus, orgasmo pacato, cum *Camphora* vel *Ipecac.* copulatum suadendum, semper tamen remediis mucilaginosi aut emulsi excipiendum.

Etiam aquam *Laurocerasim* et acid. *Hydrocyanicum* in morbis viarum acrem ducentium cum

statu inflammatorio praecipue in complicatione nervosa, in subjectis hystericis hypochondriacis, adhibent.

Praeter therapiam internam, externa adcommodanda erit. Huc spectant clysteres emollientes, pediluvia tepida cum cineribus vel cum lixiva caustica diluta, sinapismi ad suras, cataplasmata ex herbis Hyosciami, Cicutae, Melissae, speciebus aromaticis tepide adplicanda. Vel illinitur unguentum commune cum tinct. Opii, linimentum volatile, oleum Chamomillae, Hyosciami, abdomini vel pectori, scopo spasmos componendi.

Vasorum irritabilitate composita, vesicantia ad pectus vel intra scapulas adplicantur. Tentari etiam merentur cucurbitae siccae ad epigastrium, cruris faciem internam vel suras adplicitae (Hufeland). — Balnea tepida a nonnullis proposita in haemoptysi vel nunquam vel cum summa circumspicione adhibenda.

### §. 28.

Restant adhuc quaedam remedia empyrica critico oculo perlustrare. Remedium a quibusdam practicis promiscue, nec habito respectu ad characterem et morbi causas adhiberi solitum salutaris est, cujus dosis a drachm. una— duas, tres donec profluvium sistat; quod remedium in illis casibus ubi haemoptysis exordium cum characterem inflammatorio incedit, e causis incitando agentibus exoritur, cum tussi, dolore punctorio in thorace continuo, fixo, febris inflammatoria comitatur, strenue vitandum; relinquit enim fo-

mitem chronicæ inflammationis, temporis tractu in phthisim abiturum.

Recentiori tempore in hæmoptysi venaesecti-  
onibus irritabilitate vasorum composita, *salem ammoniacum* in usum trahunt, quo adplicito transitus morbi in phthisim præcaveri contendit Fischer.

Si hæmoptysis cum symptomatibus gastri-  
cis stipetur, et colluviei gastricæ debetur, eme-  
tica sub invasione commendantur (Stoll, Reil,  
Richter), sed ne perniciosam aegro medicinam  
pares, qua morbi exasperatio ex ratione sequi  
deberet; eccoprotica fortiora colluviem gastricam  
eliminantia melius quadrabunt.

Saccharum Saturni moderata dosi cum opio  
junctum laudat Kopp.

Si Hæmoptysis ex rheumate, scabie, herpe-  
te, tinca, crusta lactea, suppressis originem re-  
petit, tunc leniter diapnoica, frictions, vesican-  
tia, lotio cum solutione Tart. emet. aut unguen-  
tum Autenrithii, modo sterno, modo loco sca-  
pulis intermedio admota, effectum optatum ex-  
serunt.

#### §. 29.

*Invasione absoluta.* Silente sanguinis pro-  
fluvio, eo tendat necesse est medicus, ut novam  
profluvium malaque posthuma præcaveantur. In  
hoc stadio plus strictissimum regimen diætetici-  
cum, quam remedia pharmaceutica, præstabit.  
Sancte leges medici acger longiore tempore ob-



servet, causas excitantes fugiat, tussim quandoque finito fluxu aridam remediis oleosis mucilaginosus lenire solum studeat. Quodsi tussis cum dyspnoea, ac febris hypersthenicae indiciis incedat, curam antiphlogisticam, pro gradu morbi exposcit; uti: victus tenuis, potus a sero lactis, vel decocto Hordei, Salep, Oryza etc. cum mellis portione remixtus; ac si vis morbi id exigat, venaesectio repetenda aut cucurbitulae cruentae, ac blanda per alvum evacuatio, optime conducunt.

Debilitas haemoptysin passivam excipiens, roborantia nutrientia et analeptica sibi exposcit, uti: Infus. Chinae frigidum ejusdem decoct. remediis mucilaginosus copulatum, victus eupeptus; optime jura carniū concentrata cum vitello ovi, juscula ranarum, testudinum, limacum etc. conveniunt.

Spasmodica haemoptysis, silente profluvio, diu antispasmodica, gummi ferulacea et lenissima amaricantia exigit. Si pulmones atonia peccant, sulf. aurat. Antimon., pulv. seminum Phellandrii cum saccharo lactis convenit. Acid. carbonicum vim specificam et hic exserit, ideoque aquae soteriae acidulae, Selterana, Egrana etc. optime indicantur. — Phthisin autem mortiferam non injuste veremur, si tussis diutius cum sputis luridis saeviat.

### §. 30.

*Cura prophylactica.* Convalescens a pneumorrhagia reidivam praecaveat necesse est; sed nihil sola medicina nisi ipse sibi consulat et a causis hujus mali, tam facile redituri, sibi ca-

veat aegrotus, proficiet; parum tamen utriusque conamina auxilii saepe ferunt, si quemquam exitialis ex parentibus praedispositio tenuerit, hinc integras nonnunquam familias, praecedente plerumque cruento pulmonum profluvio in tabem lethalem praecipitatas, dolemus. Quae tamen sub convalescentia ad praesidium vitae spectant, in eo consistunt: ut atmosphaerae vicissitudinibus sensim adsuefiat, corporisque exercitium initio passivum, uti in sella gestatoria, nave etc. tandem activum instituat motum, vestibus nimis arctis, tenuioribus, aestivis et a cutis subitaneo refrigerio sibi caveat; abhorreat nixum quemcumque, ascensum scalarum, longam vociferationem, clamorem et cantum; causas demum occasionales, sanguinis circuitum sollicitantes, congestiones ad pectus producentes solerter vitet, ideo ab alimentis aromaticis, incitantibus, potulentis spirituosissis, veneris illecebris et animi pathematibus absteineat.

Atonia pulmonum ab haemoptysi praegressa relicta, roborantibus, tonum erigentibus, uti cortice Peruv., alumine, sero lactis cum alumine parato, Lichene island., curatur.


Perstante vero irritabilitate pulmonum, acida mineralia, prioribus conjuncta, indicantur, sic uti etiam usus aquae Pyrmontanae cum lacte asinino, vel juxta Hufeland fructus Hippocastani tosti laudantur.

Atonia pulmonum cum crethismo juncta usum Sacchari saturni ad granum semis cum extracto Myrrhae et pulveris seminum Phellandri aquatici postulat (Harles, Monro).

Puellis irregulariter menstruantibus, et congestionibus versus pectus obnoxiiis, animus hilaris, motus corporis, conversatio moralis inter juvenes, vita socialis, victus congruus et rusticatio in aëre libero, commendari merentur.

Foeminae ad annos climactericos proVectae haemoptysi laborantes, sanguinis missionem pro ratione subjecti et gradu morbi exigunt; diaeta minus nutriens ex vegetabilibus depromenda.

Caeterum perarduum foret omnia quae ad prophylaxin spectant, singulatim exponere, sed generatim hic monuisse sufficiat: nunc *omne systema* auxilium petere, nunc *vitium locale* corrigendum, nunc autem *utrumque* hinc inde concurrere, et ideo methodum medendi variam a medici ingenio et sagacitate determinandam, exigere.



---

# THESES DEFENDENDAE.

---

1.

Uterus organon haematopoëticum.

2.

Irritabilitas a sensibilitate, nonnisi ratione substrati differt.

3.

Facilius medico concessum est vires exorbitantes refrenare, quam languentes erigere, hinc

4.

juvabit in febris adynamicis nervosis quanto-cius stimulantibus inchoare.

5.

Non est fundata ratio in morbis inflammato-riis viarum urinalium a remediis salinis abstinere.

6.

Pulsus tardus ictericorum ex effectu narcoti-co bilis.

7.

Febris saepe praesidio est.

8.

In nosocomiis morbi acuti facilius, chronici longe difficilius sanantur ac in praxi privata.

9.

Sanatio est virium vitalium opus.

10.

Processus foetum evolvens et processus inflammatorius naturae analogae sunt.

11.

Epidemia incipiente, medicina parum praestare valet.

12.

Cutis desquamatio crisis idiostatica.

